



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

2. De causis vitæ communis in Societate. Thema. Omnis gloria Filiæ Regis
ab intus. Psal. 44.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO II. IN REGULAM IV. SUMMARI

Exponit causas vitæ communis in Societate.

T H E M A.

Omnis gloria filiae Regis ab intus. Plal. 44.

V E L:

Ratio vivendi in exterioribus, iustas ob causas communis est. Reg. 4.



A Universam Ecclesiam Catholicam, Christi Regis Regum sponsam esse, in Apocalypsi & Cantico Cantorum sapenumero describitur. Hic Rex & hæc Regina velut mater fecunda complures numerat Filias, diversas scilicet Religiones, seu Ordines, de quorum singulis jure dixerimus illud Vatis Regii: *Omnis gloria Filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circum amicta varietatibus.* Psalm. 44. Singulae religiones ornatae sunt interioribus & exterioribus ornamentis, interiora sunt gratia instituti & virtutes annexæ, quæ est gloria

Filiae regis ab intus; exteriora tanquam fimbriae, sunt opera externæ charitatis, Dei & proximi; quæ quavis Religio exercet juxta suum Institutum. Exteriora quoque sunt, circum amicta varietatibus, vestitus, victus, ratioque vivendi diversa, quæ qualibet laudabiliter utitur, & una ab alia velut signo distinguitur, ideoque circumamicta varietate dicitur. In aliis religionibus tria potissimum ejusmodi signa exteriora cernuntur. 1. Vestitus & cibus distinctus longæque à communi hominum usu diversus. 2. Jejunium sive abstinentia. 3. Afflictiones corporis: atque hæc tria ordinariè atque ex regula tanquam præcipua proprii instituti perfectionem obtinendi media usurpare debent. At in

V 2 Socie-

Societate hac tria ordinariè, ac vi regula non habemus; nec præcipuum in iis pondus colloamus; idque ut ait S. P. N. iustas ob causas; quæ verò illæ sint, nec hic, nec alibi exponit, solum in genere asserens, majus Dei obsequium semper in omnibus intendum esse.

Quanam igitur hæ vitæ communis causæ sint, exponemus.

1.
Causa
vitæ com-
munis
conversa-
tio cum
proximis.

I. Causa prima, ob quam S. P. Noster præscripserit nobis vitam in vestitu, victu, aliisque communem, cum aliis Sacerdotibus & secularibus, est conversatio cum proximis, ad illorum salutem & perfectionem melius procurandam. *Omni gloria Filie Regis ab intus, hæc est gloria Societatis. gratia vocationis, gratia instituti, quæ est, non solum salutem & perfectionem propriam; sed etiam alienam procurare: ad hæc verò obtinendam, magis convenit vita communis, quàm austera, ut expressè docet Doctor Angelicus dum ait: Qui cum aliquibus conversatur, convenientissimum est, ut se illis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli 1. Corinth. 9. Omnis omnia factus sum. 3. p. q. 40.* Hanc vitam communem tanquam aptiorem ad animas lucrandas Christus Dominus, qui est Sapiencia æterna, elegit: Duplex enim est vita, austera & communis; austera duxit Joannes, communem Christus Dominus, de qua inquit Christus Matth. 15. 18. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt demonium habere; ejus scilicet energiâ rigorem tantum sustineat. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est Sapiencia à filiis suis.* Duplex omnibus ad Deum redire volentibus proposita est via, austera & communis, ut si quem austeritas Joannis abstereretur, Christi humanitas alliceret: atque ut edendo, bibendo, conversando cum peccatoribus, eos à vitiis ad Deum converteret, ut ait D. Thomas 3. p. q. 40. a. 2. Utramque vitam malevoli taxant & reprehendunt: at justificata est Sapiencia à filiis suis, id est, hæc Christi Sapiencia justificata est, seu iusta, irreprehensibilis, & omnino perfecta esse declarata est à filiis Sapiencie, id est studiosis Sapiencie & virtutis, scilicet Christi fidelibus & asseclis. Sapien- tissimè ergo Dei Filius elegit vitam communem, ut ex prædictâ Christi sententia liquet. Idem docet S. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & alii SS. Patres. S. Chrysostomus hom. 28. in Matth. ait Christum initio etiam jejunaſſe & austera vitam egisse, sed ait eam Joanni postea omnino dimiſiſſe: ipse publicanorum & peccatorum mensas elegit, ut publicanos & peccatores salvaret. Hæc autem vita communis Christi fuit 1. in victu, ut jam vidimus ut expressè SS. Patres docent. S. Tho. 3. p. q. 40. a. 3. *Christus, inquit, in victu communem vitam duxit, secundum modum saliorum, quibuscumque convivebat.*

2. In vestitu; rationem reddit D. Thom. l. c. accommodabat se illis, quibus convivebat: at convivebat & conversabatur non solum cum pauperimis sed

sed

sed cum honestis hominibus: quare vestitus Christi non erat omnino alienus ab illis.

Non itaque vestitus erat Christus pelle cameli & Zonâ pellicâ more S. Joannis, sed veste Judæis consuetâ utebatur; & minimum ternas vestes, ut refert R. P. Eusebius Nierenbergius Lib. 1. Doct. 10. habuit, vestem interiorem, tunicam inconsutilem Laneam, & pallium: constat enim ex Evangelio non simplicem vestem habuisse, nam S. Joannes ait c. 13. *Ponit vestimenta sua, non omnia, quia non mansit nudus omnino, ad lavandos pedes discipulorum: & Joan. 19. Milites quoque dividerunt inter se vestimenta, & super tunicam inconsutilem miserunt sortem.*

Hunc quoque vestitum gessere Apostoli, quos pro communi illius temporis Philosophantium more palliatos incesse, nonnulli asserunt. Hos ergo imitatur Societas nostra communi victu, vestitu, habitatione, & vitâ utitur, ut melius ac familiarius agat cum proximis, eosque Deo lucretur. Pastores ovium, ut oves habeant familiares ac magis obsequentes veste ovillâ aut saltem candidâ sese induunt, Venatores colorem viridem assumunt, ne fera viridi in sylva asuetâ absterreantur & fugiant: ut igitur cujusvis generis homines nos non fugiant, sed libenter nobiscum agant, vestitum communem induimus. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos,* ait Apostolus 1. Corinth 9. Non raro inter hæreticos zelus animarum & necessitas cogit vestem mutare etiam

sapius. Sanè invictus Angliæ Martyr R. P. Edmundus Camprianus, postquam Regina Elisabetha novum tribunal instituisset, conservatorum pacis nomine, quorum officium erat Sacerdotes inquirere, capere, torquere, & morte multare, atque ex eo mox ebullisset ubique delegatorum, lictorum, exploratorum exercitus; necessitas adegit, vestes crebrius mutare; Unde P. Edmundus de se scribit: *Ego nunquam incedo habitu ejusdem coloris & moris: nominum vero supellex mihi est copiosissima.* P. Tannerus in vita.

Similiter illustris Angliæ Martyr R. P. Henricus Garnettus, qui annis duodeviginti strenuissimè rem Catholicam in eodem regno defendit atque promovit; cujus effigies in tabellis ad vivum depicta passim locis publicis per urbem Londinensem prostabat; in cujus caput constitutum amplum præmium, & proditori cuivis promissum erat: nec octo annorum spatio ullus Sacerdos tortus, quin in mediis cruciatibus quæreretur, ubi degeret Garnettus? quam provinciam incoleret? quâ veste incederet? Quid actum fuisset, si veste religiosâ, aut etiam seculari non mutatâ sapius, in publico appareret? an non actum fuisset de vita indies?

Igitur si agamus cum hæreticis, qui à veste religiosa singulari abhorrent, accommodamus nos illis, ne medicum fugiant. Si agamus cum Chinesibus, Chinesem, cum Japonibus Japonicum, cum Malabaris Malabaricum Sacerdotum habitum suscipimus, omnibus

nibus omnia facti, ut omnes faciamus salvos. Et hoc est majus Dei obsequium intueri, scilicet salutem animarum.

II.
Confer-
vatio vi-
rium cor-
poris.

II. Altera causa vitæ in Societate communis est, ut vires & robor haberemus ad labores Apostolicos, quam plurimos & difficiles, ac non raro continuos melius tolerandos. *In simbriis aureis*, quæ denotant opera externa charitatis Dei & proximi. Hanc rationem allegat S. Bonaventura, de Christi discipulis ad prædicandum missis, dum Respons. 2. c. 2. in Apologia sic ait: *Perfectionis præcipuus sectator Apostolus, non solum imitabilem se præbet in austeritate vitæ, verum etiam pia apud proximos, condescensione, ad Corinthios dicens: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificarem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Hanc condescensionis adificatoria formam Discipulis ad prædicandum missis Dominus dedit, cum ait: In eadem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Et mox: hujusmodi fuit eis à Domino vivendi forma præscripta, tam piè, quam providè, ut & aliis condescenderent, & injunctum sibi laborem viriliter tolerarent.*

Sanè si in Societate abstinendum nobis foret cum Carthusianis à carnibus, vel cum Minimis etiam à piscibus, & contentos vivere leguminibus & fructibus, profectò plurimi laboribus tantis, quales sunt in doctioibus, in prædicationibus, in missionibus fracti debilitatique omnino succumberent, atque ita opera charitatis, quæ austeritatibus exterioribus præstant,

impedirentur. Deinde plurima subiecta egregia, & ingenia præclara talentis ad animas lucrandas raris instructa, à Societate amplectenda absterrentur: meritò judicando, continuum studium, conciones, clamores, peregrinationes, aliosque labores esse cum rigidiore vivendi modo penitus incompossibiles. Cùm igitur Societas, variarum nationum homines admittere debeat, variarumque complexionum & qualitatum, ut omnibus nationibus & gentibus & linguis operarios idoneos parat ac subministrat, non conveniebat certam in vidu vestitute austeritatem determinari, quæ animarum bonum impediret, sed relinqui vitam communem, & austeritates committi cujusque prudentiæ, & Superiorum directioni, ut hac ratione etiam tenerius & delicatius educati, non absterreantur à Societate, & animarum procurando fructu; sed libentius eandem capecerent: & laboribus non succumberent.

III. Tertia causa vitæ communis in Societate est; ut totos nos daremus perfectioni interiori; neque cum vulgo existimaremus perfectionem in vitæ austeritate sitam, sed in interioribus virtutibus, ex quibus prodeant opera externa charitatis Dei & proximi, quæ sunt simbriæ aureæ & reliquæ virtutes & gratiæ viro Apostolico convenientes, quæ sunt instar vestis variegatæ. *Omnis gloria Filia regis ab intus, in simbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Psalm. 44. *Omnis gloria, id est, gratia vocationis, & gratia instituti est interna sanctitas; abnegatio sui,*

sui, & proprii iudicii ac voluntatis in obsequium obedientiae captivatio, humilitas, sui contemptus, zelus gloriae divinae, & animarum Christi sanguine redemptarum: haec est gloria Societatis, & illa est intus in anima. Erat interiori haec gloria, promanare oportet exteriora opera, ac varios virtutum actus, varia opera misericordiae erga varios & omnis generis homines, doctos, indoctos, pueros, juvenes, senes, magnos, parvos, infirmos, summos juvandos, ut haec Societas sit circumamicta varietatibus: sicut enim gloria anima beata redundat in corpus, ita gloriam Societatis, seu sanctitatem internam, operationibus externis variis, lucem, splendorem, modestiam & sanctitatem quandam affricare necesse est. Ex hac interiori sanctitate profuere debet imo. Singularis modestia in hominibus Societatis, quae compenferit id quod in austeritate deest, & quae, in quocunque habitu incedamus, vestis sit, quae nunquam deponatur: haec modestia si solida sit, haud dubie plurimum proximos edificat, barbaros in admirationem rapit & vel ipsi haeretici, ex hac modestiae veste homines Societatis norunt distinguere, ut conitat in Anglia; atque ex hac modestia homines facile vident aliquid intus latere, ex quo illa prodeat; scilicet operationem gratiae vocationis, interiore sanctimoniam, quae est gloria Filiae regis ab intus, & in intimo mentis conclavi recondita, potissimum vero est interna familiaritas & conversatio cum Deo,

seu praesentia assidua Divinae Majestatis, quam cum semper praesentem habemus, non est mirum, si modeste nos geramus, idque solide & constanter non solum apud externos, verum etiam apud domesticos, domi & foris, in plateis, in mensis, in cibo & potu, in veste, in incessu & omnibus actionibus; aliam similes erimus horologio bene monstranti, sed male sonanti, quod servit transeuntibus civitatem, sed civis perturbat. Deinde ex illa gloria ab intus, internaque sanctitate oritur exterior affabilitas, & suavitas in conversando cum omni hominum genere. Tertio ex ea oritur perseverantia in labore indefessa, & operationibus continuis charitatis Dei & proximis; & 4to oriuntur variae variarum virtutum actiones: & sic filia regis est circumamicta varietatibus, quae omnes procedunt ex gloria ab intus.

Quae cum ita sint Charissimi, 1. Judicemus S. P. nostrum sapientissime instituisse vitam communem exemplo Christi Domini, eamque ut filii sapientiae approbemus & amplectamur. 2. Conemur gloriam Societatis habere instar Filiae regis ab intus, id est perfectionis propriae & alienae studium. 3. Ex hoc profluant velut aureae simbriae opera charitatis erga Deum & proximum. 4. Ex eodem profluat varietas virtutum & gratiarum, Apostolicis viris convenientium, ut anima cujusvis sit circumamicta varietate & tanquam sponsa bene ornata, Christo Regi regum, unice inserviat ac placeat.

EXHOR.